



I, 16.



I, 16.

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIUS
R V D O L P H V S
BOEHMER

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.
ORDINARIUS

I N S T I T V T V M
I O. FRIDERICI HASII
LONGODEMBACO VARISCI, LL. AA. M. ET SS. TH. CVLTORIS
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM
ORATIONE ANNIVERSARIA
MAIORI IN AVDITORIO

A. D. VI. CAL. DEC. A. S. R. CIO IO CC LXI.

CELEBRATVRI

C I V I B V S
ET POSTERITATI COMMENDAT

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen VII.
de originibus Saxonibus II.*

V I T E B E R G A E
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.

RECTOR
ACADEMIAE VITBERGENSIS
GEORGIVS
RVDOLPHVS
BOEHMER
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANICAE PROF. PUBL.
ORDINARIUS
INSTITVTVM
IOHANNES DERICI HASII
MAGISTRVM RECTORVM SACRORVM
ORATIONE ANNIVERSARIA
MAGISTRI IN MEDICINA
A. D. VI. CAL. DEC. A. S. R. CIO. CC. LXXI.
CELEBRATAVI
C. A. N. I. H. N. S.
ET POSTERITATI COMMENDAT

Trigonometriae Anaphorae Geometricae Specimen VII
de originibus Geometricis II
VITBERGAE
ERGO ERHARDI GOTTOR RICHTERII
LAEZENSIS A. 1711.



Quae nuper de MARCIANI HERACLEO-
 TAE exacta dimensione spatii inter ostia
 Albis et insulas Saxonum diximus, nunc
 maiora cura inquirenda sunt. Plerique
 enim, CLVERIVM secuti, primam earum
 Heiligelandiam esse crediderunt. Sed certiora nos
 docet GEOGRAPHVS RAVENNAS, (l. V. c. XXX.)
 qui *Nordstracham* hanc adpellat, seruato hodieque
 vocabulo in *Nordstrandia*. Nec aliud admittit men-
 sura Marciana, qua lcccL. stadia ab ostio Albis
 distare produntur. (In Periplo p. 52. et 53. ed. Hud-
 son.) Ipse vero scriptor sollertissimus (Peripl. p. 37.)
 profiteretur ex media se ista stadia computasse. Sed
 enim cogitanda hic sunt stadia veterum nautica,
 de quibus doctissime exposuerunt SVRITA et WES-
 SELINGIVS; (ad vet. Itiner. p. 272.) non rectum
 ad cursum, sed necessarios per circuitus, ope ma-
 gnetis nondum cognita. Ita sane a Nieuuarco ca-
 pientes exordium incidemus in Syltam, insularum
 Saxonicarum mediam. Vocat hanc idem GEO-
 GRAPHVS RAVENNAS *Eustrachiam*. Praeclaro
 indicio vetusti sermonis Saxonici. Nec enim
 aliud est exaudiendum, quam *Eustrandia*, quod
 nobis significat, cursum circa insulas flectendum.
 Tertiam planissime rursus pandit hic Rauennas,
 quando *Euaniam* vocat. Qui autem causas tenent
 variationis in scribendo et pronuntiando pro di-
 versitate linguarum, sine dubitatione deprehen-
 dent, quid in scriptura Danorum *Fanoë* lateat. En!

praeclaram antiquitatis fidem, vel millibus Pyrrhonum aut Harduinaorum opponendam! Praeterea longe maiores olim haec insulas fuisse, quam hodie, perspicimus ex iis, quae docuit ECCARDVS. (in App. rer. Franc. T. I. p. 897.) Tanta enim saeuicia est maris ista circum litora, vt plurima vndis obruta variis temporibus constet; vnde etiam nauae in hunc diem absorptarum ibi terrarum regiones norunt vitantque, et Nordstrandiae partem maximam anno adhuc A. C. N. c1515cXXXIV. ira Neptuni profundo, merfit; vt testis est locuples, praeter alios PANTOPPIDANVS. (Theatr. Dan. P. I. p. 296.) Nec aliud fatum Rustringiae, multarumque litoris Frisici et Belgici terrarum fuisse, notum est, et similem eluionem, qua haustum medio seculo IX. Brittenburgum, adnotauit GERBRANDVS A LEIDIS. (l. I. c. XIII. et l. V. c. III.) Nec opus fuerit de origine lacus Iadae, sinus Australis, et aliarum aquarum, in quas olim terrae demersae sunt, dicere. Quod in proximo specimine iam laudauimus, PLINII testimonium, (l. XVI. c. I.) qui classe in Chaucos vsque extremos peruenerat, istius oceani naturam egregie patefacit. Nam noctu quercus, vndarum vi a continente cum radicibus et planis terrae fundis auulsae, quum erectae Romanis obuiam natassent, nauium hostilium speciem praebuerant. Narrat inde ad effugia saeui maris structa e terris tribunalia, impositis casulis; cuius instituti reliquias deprehendimus

in

in substructionibus terreis, quae *Wurtæ* vocantur, et quarum accolæ *Wurtsazzi*. Conferri cum his nostris possunt, quae meditatus est EGELINGIUS, vir doctissimus. (Diff. Miscell. II.) Ita profecto non erit valde mirandum, tempore antiquissimo genti praeualidæ angustum hodie continentis spatium cum aliquot insulis ad sedem suffecisse, donec inundationum frequentia, ad maria primum infestanda, et ad migrandum tandem alio compellerentur; quod idem Cimbris et Ambronibus accidisse, non sine idonea causâ in iis, quae ad illustrandam patriæ historiam porro adferemus, confirmabimus. At enim sedes quoque in continente, a PTOLEMAEO, interpolato illo, ut statuimus, varias tamen incorruptæ antiquitatis particulas seruante, et a longe meliore auctore MARCIANO proditæ, indagandæ erunt. Holfatiam recte viri doctissimi interpretati sunt istam Chersonesin ceruicem, nisi quod Dithmarsiam, vel obiectarum insularum indicio, et Slesuicum cum Iutiae meridionalis bona parte, addere licuisset. Antiquitus enim hae nihil ad Iutiam, proprie dictam, seu septentrionalem. Auctorem habemus grauissimum, quem iam CAMDENVS adhibuit ETHELWERDVM, non Edelredum regem, ut LEIBNITIVS, memoria forte deceptus, scribit, qui diserte: *Anglia vetus sita est inter Saxones et Gotos, habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswic, secundum vero Danos Haithby.* Nec hic obstiterit ea Anglorum et

Saxonum distinctio. Nam Angli in Saxonia, vel
teste POETA satis vetusto, quem idem CAMDE-
NVS iam laudat:

Saxonia protulit Anglos;

Hoc patet in lingua niueoque colore.

BEDA etiam, (l. l. Hist. Eccl. Angl. c. XIV. et XV.)
quem secutus est LVPVS, scriptor eruditissimus, (vit.
Vigberti c. l.) sic earum gentium aduentum in Britan-
niam narrat, vt penes Saxones fuisse principatum
facile intelligas, quod posthac in rebus Hengisti at-
que Horfi persequendis clarius confirmabimus.
Sed enim ipsa adpellatio *antiquorum Saxonum*, qua
BEDA c. l. V. c. II. vtitur, negotium magnis viris
faceffiuit. Nos non dubitamus adfirmare, res-
pectu coloniae, in Britanniam deductae, qui no-
uam alibi sane Saxoniam, sicuti nouam in Italia
Troiani Troiam, nouam Byzantii Constantinus
Romam, condiderant, antiquos illos intelligi, qui
ab egressis in Chersonesi ceruice et circumiectis in-
sulis relictis fuerant. GREGORIUS, Pontif. Ro., apud
OTHLONVM, (vit. Bonifacii c. XXVI.) vocat eos-
dem *Altsaxones*. Fatemur illos tum iam Thurin-
gorum et Hessorum fuisse vicinos. At si rite discre-
ueris tempora, quo egressi in Britanniam, et quo
Albim demum traiecerunt, et perpenderis Bedam
agere de institutis vetustissimis populi, antequam
in Britannia confederat, iure statues, Holfatiae ad-
huc incolas *Altsaxones*, seu, vt hodie loquuntur,
Oltfassen, vocatos fuisse. Non refellet, sed firma-
bit

bit haec ADAMVS, Bremae sacerdotio praeditus, ubi scribit: (Hist. Eccl. l. II. c. VIII.) *Ab Aquilone vero (clauditur Hammaburgensis parochia) Egdo-
ra fluuius, qui Danos dirimit a Saxonibus. Transal-
bianorum Saxonum tres sunt populi; primi ad ocea-
num Thiatmarsgoi et eorum ecclesia Mildintborp;
secundi Holtzati, dicti a siluis, quas accolunt; eos Stu-
ria flumen interfluit, quorum ecclesia Sconensfeld; tertii,
qui et nobiliores, Sturmarii dicuntur eo, quod seditio-
nibus illa gens frequenter agitur. Quod de Eydora
posuit, verum erit ipsius aetate, qua iam pridem (Ca-
rolo M. et ab Henrico I. iste terminus Danis concessus erat. Quod transalbianos Saxones omnes hos nominat, recte fecit, neque aliud dixit, quam antiquos Saxones. Quod tamen Holfatos, a siluis dictos voluit, hebes acumen adhibuit; sicuti in Sturmaris, in quibus a nostro vocabulo *sturmen* inepte etymon repetit, quod quaerendum erat in *Sturia* amne, et *mars*, id est, terra paludosa. Quanto ergo satius erit, huic nationi soli relictum vetus istud nomen credere, ut dicti sint *Oltfatten* seu *Oltfassen*, quod vnum idemque; quod, variata paullum pronuntiatione, qui efferri *Oltfassen* audiuerant, vertentes ad verbum postremam particulam, veluti a faxis in Latino formata esset, *Holstein* sequiore aetate effinxerunt; eodem stupore, quem in Adamo vidimus, et quo alii Saxones a *Saxis*, veluti durissimos, dictos sibi persuaferant. Et nihil frequentius in mediis aevi chartis, quam absurdissimae vocabulorum tales interpretationes secundum monachorum*

rum

rum, nugis delectatorum, pueriles argutias. Neque hic moramur BANGERTVM, viuum cetera doctissimum, qui (ad HELMOLDI l. l. c. XIX. §. 5. p. m. 58.) ex SIGEBERTO ET ANNALIBVS REGVM FRANCORVM, antiquissimam adpellationem esse putauit *Holdnstein* et *Holdenstetin*. In illis enim locis, ad quae prouocat, vrbs plane, neque populus, nominatur. Nobis abunde constat, nihil euidentius aut antiquius reperiri ista ratione, quam secuti sumus; vt alibi etiam luculentius ostendemus, quando de variis maiorum nostrorum nominibus et societatibus agendi rursus facultas dabitur. Nunc ad hoc, CIVES, animos atque studia nostra conuertemus, quod sibi proposuit IOH. FRIDERICVS HASIUS, *Langodembaco Variscus, LL. AA. M., et SS. Theol. Cultor praenobilissimus*, vt ex testamenti Weyrauchi anilege memoriam cultus diuini ad Christi mandata apud nos restituti oratione publica in auditorio maiore, a. d. VI. Cal. Dec. recolat. Argumentum, de quo dicat, elegit longe pulcherrimum et vberimum, de diuina tanti operis origine. Pro accepto hoc beneficio, quo esse maius poterat nullum, vt DEO OPTIMO MAXIMO quotidianas esse agendas gratias intelligitis, huic oratori, suis studiis ingenioque et moribus inter nos spectato, mentes atque aures tantisper lubentissimi dabit, et hanc occasionem seruiendi honori studiorum, et huius praesertim academiae, non alia ex re nobilioris, pie atque religiose tenebitis oblatam. P. P. Vitebergae a. d. VII. Cal. Dec. A. P. C. N. c l o l o c c L X I. l o l u d



T. 2972

ULB Halle
007 441 851


3



40







RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIUS
R V D O L P H V S
B O E H M E R

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR
ANATOMIAE ET BOTANIC. PROF. PVBL.
ORDINARIUS

I N S T I T V T V M
I O. F R I D E R I C I H A S I I
LONGODEMBACO VARISCI, LL. AA. M. ET SS. TH. CVLTORIS
MEMORIAM REPVRGATORVM SACRORVM
ORATIONE ANNIVERSARIA
MAIORI IN AVDITORIO

A. D. VI. CAL. DEC. A. S. R. CIO IO CC LXI.

CELEBRATVRI

C I V I B V S
ET POSTERITATI COMMENDAT

*Praemittitur Antiquitatum Germaniae Specimen VII.
de originibus Saxonis II.*

V I T E B E R G A E
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A T Y P I S.